TIT. XIII.
UT IN PRIVATIS DOMIBUS SACRA [1] MYSTERIA [2] NON FIANT [3].
NOVELLA CONSTIT. LVIII.

Imperator Juſtinianus Auguſtus Mennæ archiepiſcopo regiæ civitatis Conſtantinopolitanæ.

PRÆFATIO.

ET priſcis ſancitum eſt legibus, nulli penitus eſſe licentiam, domi quæ ſacratiſſima [4] ſunt agere: ſed publice ſinere procedere in credulitatem, & Dei culturam, ſecundum ſanctionem de his ſacratis actibus traditam. Et nos etiam hanc in præſenti ponimus legem, quam cum omni cautela teneri volumus. Omnibus enim interdicimus magnæ hujus civitatis habitatoribus, magis autem etiam totius noſtræ ditionis in domibus ſuis habere quaſdam quaſi orationum domos: & in his ſacra celebrare myſteria [5]: & hinc fieri quædam Catholicæ, & Apoſtolicæ traditioni extranea. Sed ſi quidem domos ita ſimpliciter aliqui habere putant oportere in ſacris ſuis, orationis [6] videlicet ſolius gratia, & nullo celebrando penitus horum quæ ſacri ſunt myſterii, hoc eis permittimus. Invidia enim nulla eſt, ſi volunt circa hæc habere habitacula quædam, & in eis tanquam in ſacris orare, aliis autem omnibus abſtinere: niſi tamen in eis voluerint aliquos invitare clericos, hic quidem ſanctiſſimæ majoris eccleſiæ, & ſub ea ſanctiſſimarum domuum, voluntate ac probatione ſanctiſſimi archiepiſcopi ad hoc deputatos: in provincia vero Deo amabilium epiſcoporum: nulla novitate ſedi ejus beatitudinis ex præſenti noſtra lege facienda circa exiſtentia ei quolibet modo in ordinationibus aut gubernationibus hic aut in provinciis jura: ſed omnibus etiam competentibus ei quolibet modo & tempore, ratis nunc & in omne reliquum tempus ſervandis: ſancimus tuam hæc conſervare gloriam, & manifeſta omnibus per literas proprias conſtituere, quatenus per omnia valeat lex. Hæc enim & glorioſiſſimo præfecto felicis hujus urbis, & ſanctiſſimo archiepiſcopo, & univerſali Patriarchæ præcipimus, ut ex civili & ſacerdotali virtute hæc perpetue cuſtodiantur. Sciant enim & ipſi domuum domini: quia ſi non hæc cuſtodierint, ipſi quidem ſub imperiali fient motu: domus [7] autem in quibus aliquid tale agitur, & publice fient, & ſub ſacratiſſimum noſtrum ærarium deducentur. Si autem & aliquos contingat tale aliquid in ſuis habere domibus: ſciant quod niſi intra tres menſes, ex quo hæc lex inſinuata fuerit, hæc correxerint, & ad figuram a nobis ordinatam deduxerint, ſub prædicta pœna fient. Hæc autem agi cum veritate, non per aliquam calumniam volumus: *Veracium* [8] *enim ſolummodo ſumus amatores.* Hæc ſancimus tuam cuſtodire celſitudinem, & nihil tale fieri concedere. Scito enim quia ſi didicerimus, quod tibi tale aliquid denunciatum, deinde non prohibuiſti aut tu, aut ſucceſſores tui cinguli futuri: ipſe quidem quinquaginta librarum auri expones pœnam, & qui ſucceſſores cinguli tui fuerint: parens autem tibi officium, idem ſuſtinebit damnum, quia rem nobis ſtudioſam, & ſanctiſſimæ eccleſiæ cuſtodientem unitatem, & prohibentem quæ a nobis aperte interdicta ſunt agi latenter, paſſum eſt deſpicere commiſſum: & circa ipſum cingulum periclitabitur: inſuper & ipſam domum in qua aliquid tale agitur, fieri publicam & ſub ſacratiſſimum venire ærarium.

EPILOGUS.

† Scriptum autem eſt a nobis & ſanctiſſimo Patriarchæ felicis hujus urbis, ut & ipſe hujus ponat rei providentiam. Volumus enim ſacerdotaliter & judicialiter hæc ſervata durare in reliquum tempus immutilata. Dat. 3. Non. Novembr. CP. Imp. Dom. JUSTIN. PP. A. Anno XI. poſt BELIS. V. C. CONS. [9].

TIT. XIV.
DE DEBITA IMPENSA [10] IN EXEQUIIS DEFUNCTORUM.
NOVELLA CONSTIT. LIX.

Idem Imperator Juſtinianus Auguſtus Joanni præfecto prætorio, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

SIngula bonorum operum a nobis Dei auxilio oportet accipere principium, aut ſi qua, ea quæ aliis facta ſunt bona, ſecuta eſt corruptio, hanc emendari a nobis & in antiquum reduci ordinem. Ut nos aut factione rei aut correctione ad bonos actus ſtudeamus habere ſemper participium. Quale videlicet aliquid & ſuper exequiis defunctorum factum non recte perſpeximus emendare, & donare omnibus, ne duplicem ſuſtineant difficultatem ſimul quidem ut quæ ſua ſunt amittant, ſimul autem ut pro ſe damnificentur. Sed quod *Conſtantinus* [11] piæ memoriæ recte cogitans diſpoſuit, & poſt hæc *Anaſtaſius* piæ memoriæ firmavit, adjiciens etiam reditus cauſæ, hoc nos ipſi cum periculum patiatur cadere, reparare & dare cum omni cautela & terminis competentibus cogimur, illud facientes manere immortale. Conſtantino [12] enim piæ memoriæ nongentis [13] octoginta [14] ergaſteriis, ex diverſis corporibus feliciſſimæ hujus urbis, ſine tributis dante ſanctiſſimæ majori eccleſiæ; Anaſtaſio [15] vero piæ memoriæ non ſolum ergaſteriis illis quinquaginta & centum adjiciente, ſed & reditum [16] certum largiente per duas pragmaticas formas, quatenus quod ex ipſo reditu colligitur aurum, proficiat ad ea quæ dantur a Deo amabilibus œconomis his qui ad hoc laborant: plurimi plerumque adierunt nos, dicentes non ſimiliter cauſam procedere, neque ſine mercede fieri defunctorum exequias, ſed exigi amare, & invenire plurima foris nomina & corpora quæ etiam invitos exigunt lugentes, & cogunt dare non habentes, hæc omnia juſtum judicavimus competenti correctione digna facere.

CAP. I.

PRimum itaque ea quæ per ergaſteria plurimam ſuſceperunt læſionem & deminutionem, ad plenum reſtituimus ſanctiſſimæ majori eccleſiæ ſacram propter hoc ſcribentes formam ad urbis præfecturam, quatenus ipſa cum obediente ſibi officio tradere mille [17] centum ergaſteria omnibus modis Deo amantiſſimis eccleſiæ defenſoribus & œconomis ſanctiſſimæ dictæ eccleſiæ: octingentis quidem in corporibus ergaſteriorum præbendis Deo amantiſſimis defenſoribus, trecentis autem [18] Dei cultoribus œconomis, ab his Deo amabiles œconomi habeant quadraginta [19] ergaſteria, & reditum ab Anaſtaſio divæ memoriæ donatum, nequaquam querentes tanquam minus ſit, ſed ſupplementum ex trecentum ergaſteriorum datione habentes, facere menſtruorum expenſas, & decanis, & aliis ordinibus, Deo vero amabiles defenſores habentes octingenta ergaſteria & appellatos lecticarios præbere & aliud miniſterium facere quod defunctorum exequiæ volunt, quatenus per hoc damna auferantur lugentium.

CAP. II.

OPortet ergo ſupradicta mille centum ergaſteria cuſtodiri & Deo amabilibus œconomis & defenſoribus ſemper ſine tributis & ſine diminutione, & ſupplenda a glorioſiſſimo præfecto felicis hujus urbis, ſi quis fiat caſus quolibet modo aut mutatio horum faciei aut mercationis, ut Deo amabiles quidem œconomi [20] habentes prædiorum adminiſtrationem quæ ſepulchris deputata ſunt, habentes etiam ſine tributis trecenta ergaſteria, defenſores autem octingenta, circa exequias defunctorum faciant gubernationem, ea quidem quæ ex prædiorum reditu accedunt a Deo amabilibus œconomis dari ſepulturis, ſicut deſcendentes diximus, adjecto etiam ex trecentis ergaſteriis cremento, quod etiam ipſum in ipſo opere percipere petierunt. Quia igitur mille centum ergaſteriorum in hac exiſtentium felici urbe plurima exciderunt, præcipimus ſecundum præſens tempus repleantur, & horum mille centum ergaſteriorum numerum immutatum conſervatum & ſine tributo, diviſum ſecundum dictum a nobis modum ſervari & Deo amabilibus œconomis & Dei cultoribus defenſoribus: ut tamen non minus ſint Decani ſeu laboratores [21] octingentis deputati Deo amabilibus defenſoribus, pro vero trecentis datis Deo amabilibus œconomis, licentiam his eſſe inſuper Deo amabilibus viris ſi voluerint, in corporibus accipere trecenta ergaſteria, ut omnia aut quædam ex his, aut percipere occaſione appellatorum excuſatorum, pecunias pro cunctis aut pro aliquibus ergaſteriis, ipſaſque pecunias, quas hactenus non habebant, (ſicut ipſi noſtram docuerunt poteſtatem) expendere circa defunctorum exequias, uræ ex his pecuniis & ex reditibus prædiorum diſtribuere ſicut & decanis [22] & aſceteriis [23] & canonicis, [& acolythis [24]] ſicut deſcendentes ordinavimus. Iiſdem enim Deo amabilibus œconomis docentibus quia jam impoſſibile eſt ex prædiis de cætero eundem reditum ſervari, recte nos trecentorum ergaſteriorum crementum diſtribuimus huic parti, quatenus, quod inculpabiliter hactenus datum eſt laborantibus, circa funerum exequias, & deinceps detur, hoc eſt per ſingulum menſem quadringentos ſolidos dividendos Decanis & acolythis & aſceteriis, & canonicis [25], ſecundum eam, quæ hactenus apud eos tenuit conſuetudo: hoc eſt decanis quidem per ſingulos menſes centum octoginta duos ſolidos, aſceteriis autem nonaginta [unum] ſolidos, & acolythis nonaginta unum ſolidos, & canonicis triginta & quinque ſolidos, congregandos quidem ab eiſdem Deo amabilibus œconomis, ſolvendos autem in eis, qui conſueverunt accipere, per ſex menſes.

CAP. III.

OPortet autem competentem quidem auri partem reverendiſſimis aſceteriis [26] dari, per Deo amabiles œconomos ſecundum [27] dictas inducias, Eugenio Deo amabili diacono & xenodocho Sampſonis [28] ſanctæ memoriæ Xenonis, & ejus qui per nos conſtitutus eſt, & his qui poſt eum pro tempore erunt, & Deo amantiſſimi xenodochii memorati xenodochorum, eo quod aſcetriæ ad hoc miniſtrantes opus ſub xenodochis per tempus memoratum venerabilium xenodochorum conſtitutæ ſint, quod autem contingit Acolythis & reverendiſſimis canonicis ſimiliter dari per eiſdem Deo amabilibus œconomis, ſed ut ipſi aut nunc præſunt eis, & quibus per tempus præfatis earum committitur, ut per eos diſtribuatur his prædeclaratis, & ſub his conſtitutis aſceteriis & canonicis, necnon & acolythis: Si vero retro [29] fecerint circa talem ſolutionem Deo amabiles œconomi: & hoc palam fiat intra ſex menſes, in ſecundo ſemeſtre veniente, ſi nullam fecerint ſolutionem, non tamen quod poſt primum ſemeſtre debetur, exigi ſemper a Deo amabilibus œconomis, cum uſura tertiæ [30] partis legitimæ centeſimæ poſt ſemeſtre tempus, providentiam hujus ponente per tempus ſanctiſſimo archiepiſcopo & patriarcha felicis hujus urbis & ſanctiſſimæ majoris eccleſiæ.

1 Et illicita, *l.* 15. *Cod. de epiſc.* *l.* 3. *l.* 8. *Cod. de hæreticis.* 2 Græci appellant, ἱερὰν μυσταγωγίαν. *Scrimg.* μυσταγωγίαν. *J. h. t.* ut ne domui fiat communio ſacra. *Index Reginæ.* Græci quoque vocant τὰ ἱερώτατα, *J. h. t.* ſacram Miſſam. *Jul. hic in fin. c.* 199. ἱερὰς μυσταγωγίας καὶ λατρείας. *Nov. Leon.* 4. adde & σωτήριον βάπτισμα *Leon. Nov.* 15. *Syn. in Trullo c.* 31. & 59. 3 Etiamſi in domo ſua oratorium habuerit, vide Jul. *conſt.* 52. 4 Τὰ ἱερώτατα. 4 Μυσταγωγίαν. 6 Chriſtiani propriis in ædibus oratoria habere poſſunt, & in iis orare. 7 Vid. *Nov.* 14. §. 1. *Nov.* 43. *cap. ult.* §. 2. adde *Novell.* 131. *cap.* 8. 8 Martial. 8. Epigram. 76. *Dic verum mihi Marce, dic, amabo, Nil eſt quod magis audiam libenter.* 9 Id eſt, anno 552.

10 De impenſis in funera mortuorum faciendis, Jul. *conſt.* 53. De ſumptibus funerum: 3. *C.* 44. *Index Reginæ apud Cujac.* adde *Novell.* 43. 11 *Leon. Nov.* 12. 12 *l.* 4. *C. de ſacroſ. eccleſ. Nov.* 43. *Nov. Leon.* 12. 13 *d. l.* 4. & *d. Nov.* 43. 14 *Forte* quinquaginta, *ut l.* 4. *Cod. de ſacr. eccleſ.* 15 *d. Novell.* 43. 16 *l.* 18. *C. de ſacroſ. eccleſ.* 17 *d. Nov.* 43. 18 Oeconomi a defenſoribus diſtinguuntur. 19 Τριακόσια, id eſt, 300. 20 Oeconomi ad ſumptus ſepulturæ habebant prædiorum ſepulturæ deſtinatorum adminiſtrationem cum 300. ergaſteriis: Defenſores vero 800. ergaſteriorum adminiſtrationem. 21 Κοπιατάς. Decanorum hoc munus erat, cadavera mortuorum obvolvere, efferre, ſepelire. Epiphanius eos numerat inter cetera Eccleſiæ miniſteria. 22 Decani. [illegible] lecticarii ſeu copiatæ, veſpillones, [illegible] 23 Aſceteria & Canonicæ ſunt monachæ. [illegible] 24 Acolythi [illegible] Vid. *cap.* [illegible] 25 [illegible] 26 [illegible] 27 Κατὰ [illegible] 28 [illegible] 29 Κατέχειν, id eſt, [illegible] 30 Ex mora ſex menſium [illegible]

CAP.

CAP. IV.

SI autem & alter annus tranſeat, & neque ſic aliquid exſolvant Deo amabiles œconomi reverendiſſimis mulieribus aut memoratis decanis, licentiam eſſe per tempus ſanctiſſimo patriarchæ, non ſolum exigere Deo amabiles œconomos debitum cum dicta uſura, ſed etiam dare eos cogere quæcunque decreta ſunt, (& ſi voluerit ſanctiſſimus Patriarcha) expellere eos a gubernatione prædiorum, & exigere horum faciem puram ab eis qualis eſt. Horum omnium ſolicitudinem ponente pro tempore beatiſſimo archiepiſcopo & univerſali patriarcha, ſub quo ſunt & Deo amabiles œconomi & omnis clerus, & univerſus ſanctiſſimæ majoris eccleſiæ ſtatus. §. 1. His ita factis nullum penitus ab invito percipere pro mortuo corpore tutato [1] quicquam. ut autem diſcreta ſint omnia, ſancimus ſingulo lecto gratis dato unum aſceterium [2] dari, aſceteriarum aut canonicarum non minus octo mulierum præcedentium lectum & pſallentium & tribus acolythis, qui nihil penitus accipient. Si tamen quis voluerit competentium defuncto & exequias facientium ipſe ſponte, cogente nullo & aliud aſceterium unum [3] aut duo aut etiam amplius aſſumere: hoc ſit quidem ejus munificentiæ, tamen nec hoc indefinitum relinquimus, & hic eandem menſuram eſſe volumus harum quæ per munificentiam aſſumuntur aſceteriarum ſeu canonicarum, & acolythorum, quam ſuperius definivimus, non minus octo aſceterias ſeu canonicas eſſe, quæ ex unoquoque aſceterio aſſumuntur, & tres acolythos per ſingulum aſceterium.

CAP. V.

DAre autem aſceteriis ſeu canonicis his, quæ circa id gratis miniſtrare ſumuntur, ſi quidem intra novos [4] muros felicis hujus urbis ſint exequiæ, usque ad ternos [5] ſolidos, nihil ex hoc acolythis penitus recipientibus, neque dividentibus hæc cum reverendiſſimis aſceteriis aut canonicis. Acolythis autem qui præter res gratis miniſtrantes ſumuntur, ſiquidem alii tres ſint, fieri contentos ſiliquis tribus: ſi vero ſex, ſiliquis ſex: & deinceps ſecundum hunc modum etiam de his gubernari. Certum vero eſt, quia ſi & ſpatium plus conſiſtat, & qui [6] lecto miniſtrant decani plures ſint, aſceteria plura propter hujus oneris partem, etiam aliquid & ipſis dabitur ſecundum ſimilitudinem ad aſceteria diſciplinæ laborantium, ut differentia laboris videantur aliquod & ipſæ habere hinc ſolatium. Videtur autem intra novos muros & tranſitus [7] Juſtinianarum [8] ſeu Sycorum, quoniam non longe conſtitutæ (neque) egeret ampliori tempore vel labore ad veniendum ibi. Si vero foris novos muros felicis hujus urbis exequiæ fiant, aut etiam in alios [9] tranſitus citra quam dictum eſt, tunc aſceterias quidem ſeu canonicas dimidiam partem ſolidi accipere, neque hic communicantibus penitus ullo modo eis acolythis. Ipſis autem acolythis in ſingulo aſceterio quatuor accipientibus ſiliquas, & ultra hæc nihil, ſecundum memoratam diviſionem, aſceterio ſequente gratis datum lectum cum tribus acolythis, & ipſo omnino veniente, per octo aſceterias aut canonicas, & tres (ſicut dictum eſt) acolythos, & nihil penitus accipientibus, neque per circorum [10] dationem exigentibus, & aliam menſuram adinvenientibus ſub alio velamine.

CAP. VI.

HÆc itaque omnia definivimus ſuper his, qui non per munificentiam quærunt duos majores lectos in venerabili vaſorum [11] cuſtodiario poſitos. Dicimus autem Studii glorioſæ memoriæ, & Stephani magnificæ memoriæ. Si quis enim illos voluerit accipere, utpote [12] & pluribus hominibus egentes, & cuſtodia potiori & omnimoda curioſitate egentes, hoc non conjungimus his quæ prius diximus, ſed tanquam magnificam exhibens voluntatem, quantumcunque pro labore decanis aut reverendiſſimis aſceteriis vel canonicis dare placuerit, tantum & præbeat, non tamen valentibus tranſcendere decem ſolidorum quantitatem in duobus lectis Studii & Stephani, in [13] deaurato autem poſito in ſanctiſſima majore eccleſia, vel uno ſolido pro eo forſan faciendo quatuor ſolidorum, aſceteriis autem, & canonicis, & acolythis duplicia accipientibus, quam prius de his definivimus, quippe & ipſo aſceterio ſeu canonicis gratis in aliis lectis præcedente, eandem accipiente quantitatem, quam & reliqua aſceteria. Hoc ipſo & ſupra acolythis obſervando quod prædiximus, ut & iſti duplum horum quæ jam a nobis ordinata ſunt, accipiant: quando unus tamen horum trium fuerit lectus, in quo funus agitur, id volente qui hoc celebrat: quippe Deo amabilibus defenſoribus neceſſitatem habentibus corpora decanorum præbere, ex iis deputavimus octingentis ergaſteriis & etiam lectos, non tamen expenſas facere aliquos, Deo amabilibus œconomis cogendis, vel ex reditu ab Anaſtaſio divæ memoriæ relicto, vel ex trecentis ergaſteriis omnem memoratam expenſam fieri circa dictas perſonas ſecundum in omnibus ordinatam a nobis diviſionem. Sic nihil indefinitum erit, ſed mediocres [14] ſepulturas fieri volentes hac fruentur diſpoſitione, & ad munificentiam reſpicientes, non magis damnificabuntur, ſed erunt cum mediocritate munifici.

CAP. VII.

HÆc igitur nos decrevimus, & ſuper ergaſteriis, & ſuper reditibus, & ſuper exequiis, vel quæ gratis, vel quæ per munificentiam fient. Cuſtodes quoque ponimus, ut imminutus ſemper cuſtodiatur ergaſteriorum numerus, non ſolum glorioſum præfectum hujus urbis, & ei obediens officium, ſed multo potius tuam celſitudinem, & qui ſemper cingulo ſunt addendi, cui nunc ipſe præſides. Inſuper & pœnam definimus & adverſus officium tuum, ſi quis neglexerit, quinquaginta librarum auri, & adverſus eos qui ſemper tuam perceperint ſedem, duplicem, ut non concedatur aliquando memoratorum mille centum ergaſteriorum numerus deficere, ſecundum dictam a nobis diviſionem: ſed ſi docearis hoc, aut ipſe, aut qui poſt te, hujus omnem ponas providentiam, & procures eum imminutum per omnia perdurare: & inonuſtum [15] & ſine adinventione, & a tua celſitudine & ab omni alia perſona, ut non hæc fiat occaſio quatenus contra quod definitum eſt detur aliqua merces pro funere alicujus perſonæ, nulla [16] diſcretione facienda perſonarum defunctarum, ſive divites ſint, ſive pauperes, niſi tantum, ſicuti præcedenter diximus, unum trium lectorum elegerint, in quibus competentia diſpoſuimus. Et volumus etiam illa tenere ſecundum hunc modum, & eſſe per omnia immutilata & immortalia, hac ſacra pragmatica lege per omnia tenente, donec [17] ſunt homines, donec magnum & valde laudandum Chriſtianorum nomen in hominibus eſt, & quotidie per Dei providentiam augetur: providente quippe his, ante alios omnes ipſo ſanctiſſimo patriarcha hujus felicis urbis, ut cum pontificali dignitate [18] ipſe cauſa [19] utens, non ſinat ab ulla Perſona neque ſacerdotali, neque judiciali, neque aliorum ulla depravari, quæ a nobis ordinata ſunt, ſed [20] & ipſum imperium conjuramus, ad magnum reſpicientes Deum, ut ſemper ſceptrorum Dominus vigilanter huic rei provideat. Non enim hoc pro ſolis mortuis, ſed etiam pro viventibus & maxime imperantium ſalute eſt, pios actus omnino ad effectum adduci, & non prælaborantium bonum opus a ſubſequentium deſidia perire. Sicut autem ad mille centum ergaſteria imminuta & ſine tributo ſervari diſpoſuimus, ita reliqua [21] ergaſteria omnia ſub tributis conſtitui ſancimus, nullo penitus licentiam habente ea excipere a tributis, neque venerabiles domos, neque ex Xenodochiis, neque ex aſceteriis, vel monaſteriis, aut alio quolibet, ſed neque ipſa imperiali noſtra domo, aut qui in principatibus vel poteſtatibus ſunt, ſed omnibus ergaſteriis ſimiliter agnoſcentibus tributa, nec paulatim ſingula excuſare, & proprium levigare, & reliquis paucis exiſtentibus totum imponere pondus, & ex hoc magnum ſuſtinere diſpendium, ferre hoc non valentes.

EPILOGUS.

† Tua igitur celſitudo, & qui poſt eandem adminiſtrationem acceperit, & parens tibi officium, quæ placuerint nobis per præſentem divinam pragmaticam formam, nunc & in reliquum omne tempus ſervabunt. Dat. 3. Non. Novembr. CP. DN. JUSTIN. PP. A. An. XI. poſt BELIS. V. C. CONS. Ann. 2. [22].

TIT. XV.
UT DEFUNCTI [23] SEU FUNERA [24] EORUM NON INJURIENTUR A CREDITORIBUS [25], ET UT CONSILIARII [26] NON SUSCIPIANT COGNITIONES [27] ABSQUE JUDICIBUS.
NOVELLA CONSTIT. LX.

Imp. Juſtin. Aug. Joanni glorioſiſſ. ſacrorum prætoriorum per Orientem præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

QUi varietatem [28] cauſarum conjiciunt, non facile ad culpam veniunt, ſi veritatem examinent: quoſdam namque veriſimile eſt multitudinem [29] legum, quæ per ſingula a nobis adjiciuntur, culpare, non conſiderantes, quia opere [30] ſemper vocante, conſonas cauſis ponere leges compellimur: cum ſemper inopinabile emergat, & ab iis quæ jam poſita ſunt, mederi non valeat: quale quidem nuper eſt agnitum. Deberi enim [31] ſibi quidam dicens ab aliquo, dum hominem in morte cognoviſſet eſſe conſtitutum, milites congregans, & ſervos alios plurimos, ingreſſus eſt ſuper morientem: verum ille anxiatus clamare cœpit, donec eum violentia compreſſum reliquiſſet ſpiritus: at ille etiam ſignacula [32] impoſuit rebus ſua poteſtate, præſente nullo in cingulo conſtituto, aut quolibet omnino legali & civili officio obſervato: & neque ita receſſit, ſed etiam defunctum injuriare eum non piguit, primum quidem inſiſtens [33] non fieri exequias: deinde, cum vix cœpiſſet de domo deponi mortuum, inſtabat publice portari lectum non ſinens: neque deducendum dicens, niſi debitum perceperit, donec ſponſorem accepit: & ita jam defunctum tradi terræ permiſit. Negotium ſiquidem, quo hæc commiſſa ſunt, competenter diſpoſitum eſt: oportere autem judicamus etiam generali lege hæc emendare: non ſinentes hæc rurſus committi ſemper ſine legislatione manentia.

CAP. I.

De creditoribus qui mortuis debitoribus imminent. ſic Julianus.

SAncimus [34] igitur, ſi quis illo ſuperſtite adhuc quem putat debere ſibi, aſcendat domum ejus, & moleſtus ſit ſuperſtiti homini, aut qui ejus ſunt, uxori forte vel filiis, aut domui omnino, aut etiam ſignacula [35] per propriam poteſtatem imponere præſumat, non prius decreto & officio legali ſervato: poſt ejus qui dicitur debere, mortem, actione quidem modis [36]

1 Id eſt, curato. 2 Aſceterium unum, octo monialibus & tribus acolythis conſtat. Jul. *hic.* 3 Duobus aut tribus etiam aſſiſteriis funus defuncti proſequi licuit. 4 Qui a Theodoſio juniore conſtituti ſunt, *l.* 18. *C. de ſacroſ. eccl.* *l.* 18. *Cod. de operib. public.* *l.* 7. *C. de metatis.* 5 Treſſem, *Jul.* hic male *tremiſſem.* treſſis, tres aſſes: tremis tertia pars ſolidi: *tiers d'eſcu.* 6 Decani lectis miniſtrabant. 7 Πέρασμα. *Novell.* 159. trajectus ille maritimus appellatur hodie *Pera.* 8 Juſtinianæ vel Sycæ, Jul. *hic*: Sycenæ, *Stephan.* Συκαὶ καθ' ὑμᾶς Ἰουστινιαναὶ προσαγορευθεῖσαι. 9 Transmarina loca, *Jul.* Conſtantinopoli erant domus & prædia trans mare, inde cadavera in urbem deferebantur. 10 Κηρῶν, cereorum. 11 Κειμηλιοφυλακείῳ. De theſauro & cimelio eccleſiæ adde *l. ult. Cod. de bonis autorit. judic. poſſidendis*: *l.* 20. *Cod. de agricolis.* De Cimeliarchia, *Novell.* 40. 12 Lecti funebres Studii & Stephani pluribus hominibus & cuſtodia potiori & curioſitate egebant, ac propterea eorum commodatorum nomine major pecunia exigebatur, non tamen ultra decem ſolidos. 13 Ἐπὶ δὲ τοῦ χρυσοπάστου &c. *Scrimg.* pro eo vero, quod auro intertextum eſt, quodque in ſancta majore eccleſia ponitur. 14 Id eſt, mediocris ſumptus. 5. Cicer. 2. *de leg.* 15 Ἀβαρῆ καὶ ἀνεπινόητον. 16 Quod recte obſervari humana cupiditas atque ſocordia vix patitur. 17 Eſt tamen magnæ quæſtionis, an in hujusmodi rebus principes ſucceſſorem obligent? quod vix eſt, ut obtineat. 18 Ἐξουσίᾳ, autoritate, poteſtate. 19 Πράγματι, occaſione. 20 Ἀλλὰ καὶ αὐτὴν τὴν βασιλείαν καταχρίνομεν εἰς τὸν μέγαν ἀφορῶσαν θεὸν, ὥστε τὸν ἀεὶ τῶν σκήπτρων κύριον ἀγρύπνως τοῦτο πράγματος προνοεῖν. *Scrimg.* 21 Supernumeraria ergaſteria eccleſiæ, ſumptibus funerum non deputantur. ideoque a tributis non ſunt immunia. 22 Id eſt, ann. 554.

23 Adde *l.* 1. §. 4. *l.* 27. *ff. de injuriis.* 24 Λείψανα. *Scrimg.* Ne reliquiæ debitorum a creditoribus injuria afficiantur. *Index Reginæ.* De reliquiis ſive cadaveribus mortuorum alibi, huc refer *c.* 1. *J. h. t.* 25 De creditoribus, qui morientibus debitoribus ſuis imminent. Julian. *conſt.* 54. 26 Παρέδρους. *Scrimg.* Ne adſeſſores cauſarum cognitionem ſuſcipiant. *Index Reginæ.* 27 Μήτε προκάταρξιν ποιεῖν, μήτε ἀποφάσεις ἐκφέρειν. *Scr.* id eſt, neque litis conteſtationem fieri ſinant, neque ſententiam ferant. 28 Veritatem εἰ τῆς ἀληθείας τῶν πραγμάτων ἐστοχασμένοι. *Scrimg.* 29 Multitudo legum multitudini actionum imputatur, non voluntati vel ſtudio legislatoris. 30 Neceſſitate, χρείας. *Scrimg.* 31 3. Harm. 5. §. 72. 32 Vid. *tit. C. ut nemini liceat ſine judicis auctoritate ſignacula rebus imponere alienis.* 33 *Nov.* 115. *c.* 5. *l.* 38. *ff. de relig.* *l.* 3. §. 4. *l.* 8. *ff. de ſepulchro*: *l. ult. Cod. de ſepulchro.* 7. *Eclog.* 6. *ex l.* 23. *tit.* 2. *c.* 1. *fol.* 75. Ambroſius *lib. de Tobia*: adde *l.* 2. *in fin. ff. de in jus vocando.* 34 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Item qui. Cod. de ſepulchro violato.* Goth. De pœna eorum, qui vel ægrotantibus, vel animam agentibus, vel reliquis defunctorum, ſub prætextu crediti conſequendi, vid. Ritterſhuſ. *part.* 13. *c.* 6. Anſ. Adde Pecc. *de jure ſiſtendi cap.* 5. *n.* 23. S. L. 35 *d. t. C. ut nemini liceat ſine judicis auctoritate ſignacula* &c. 36 Modis omnibus cadere eſt ipſo jure cadere: qua de re vide plura apud Matheſilanum *ſingulari* 112. & 115. Ludovicum Romanum, *ſingulari* 1. Franciſcum Cremenſ. *ſingul.* 7. qui formulas ſimiles eſſe notat, quoties quid lege jubetur fieri omnino, penitus, mox, illico, funditus &c.

omnibus

omnibus cadat [1], ſive juſtam habeat hanc, ſive non: quantum vero deberi ſibi dicit, tantum aliud ſuper exigatur, & detur injuriati heredibus. Confiſcationem [2] quoque in tertiam partem ſubſtantiæ ſuſtineat, (ſicut [3] & Marcus Philoſophus imperator in ſuis conſcripſit legibus) & infamia feriatur. Qui enim hominis naturam non [4] erubuit, dignus eſt, & pecuniis, & gloria, & aliis omnibus condemnari. §. 1. Si vero etiam moriente quodam, circa funus peccetur aliquid morientis, quod exequias prohibeat [5]: ſcripta quidem jam lex eſt, & a noſtro patre ſuper hoc: tamen ſimul etiam ex noſtris major ſequatur delicti pœna, & iiſdem ſubjaceat, quæ præſens infert lex eis, qui in viventem tale aliquid, quale diximus, committunt: hujus rei providentiam habente præcipue quidem glorioſiſſimo præfecto hujus feliciſſimæ civitatis, cui talium emendationum cura eſt: nihilominus autem & glorioſiſſimo ſacrorum noſtrorum prætoriorum præfecto, & glorioſiſſimo magiſtro ſacrorum officiorum, & ſemper his obedientibus officiis. Oportet enim communibus [6] exiſtentibus contra naturam injuriis, communem eſſe judicibus ſuper his prohibitionem atque vindictam: his non in ſola hac feliciſſima civitate valentibus, ſed etiam in omnibus gentibus, quarum nobis principatum alium quidem ab initio dedit Deus, alium vero adjecit, & adhuc etiam dabit, ſicut ait quidam ante nos: provinciarum quippe judicibus, ſive militaribus, ſive civilibus, hujus rei providentiam habentibus. Sequitur enim hic quidem judices eorumque officia triginta librarum auri pœna, ſi quid horum neglexerint: provinciales autem quinque, ſi neque ipſi ad hoc inſtiterint, denunciatione qualibet aut hic aut per provincias facta.

CAP. II.

Ne conſiliarii ſive adſeſſores ſuſcipiant cognitiones abſque magiſtratibus.

ILlud [7] etiam recte ſe habere perſpeximus, non permittere (ſicut Zenonis piæ memoriæ dicit conſtitutio [8], & noſtra quoque) conſiliarios judicum ipſos cauſas per ſe audire, quæ apud adminiſtratores [9] aut datos a nobis [10] judices agitantur. Multo namque melius atque perfectius coram ipſis adminiſtratoribus præſentibus illis quorum intereſt, cauſæ moventur, terrore imminente exhibitis teſtibus, & omnino cauſa propriam habente honeſtatem, quam ſi apud pedaneos judices talia decernantur, in nullo conſiliariorum officio diſtante ab illis. Sed quoniam a nobis conſtituti ſemper adminiſtratores, occupationibus rerum, noſtrarumque juſſionum comprehenſi, ad hanc neceſſitatem deponuntur: oportet conſonam congruamque legem rebus imponere. §. 1. Sancimus igitur conteſtationes quidem litium omnibus modis apud [11] ipſos fieri adminiſtratores [12], ſive majores, ſive minores ſint: ſed etiam in mediis litibus introduci rurſus apud eos ſemel moti negotii res, quatenus ea quæ examinantur, agnoſcant. cum vero noviſſima [13] ſententia proferenda eſt, nullo modo præſumere conſiliarios abſque adminiſtratoribus audire, ſed eum cum competenti honeſtate, quam dudum diſpoſuimus, propoſitis ſacroſanctis eloquiis, ipſos adminiſtratores [14] & audire quæ examinata ſunt omnia, conſequenter & judicare eos negotia, & ſuſcipere appellationes, ſi quis appellaverit, ſine ulla dilatione, ubi lex hoc fieri permittit: & rurſus appellationis judices modis omnibus per ſe audire negotia, nullo agere aliter præſumente: ſed ſi quid tale fiat, ipſis quidem adminiſtratoribus viginti librarum auri formidantibus pœnam: conſiliariis autem qui tale aliquid agere præſumpſerint, ſi quidem advocati ſunt, expellendis ab eloquentiſſimorum advocatorum collegio: ſi vero advocati non ſunt, ſed alii quidam: etiam cingulo (ſiquidem habent) privandis, & decem librarum auri caſtigandis pœna. Non enim oportet eos qui Zenonis [15] piæ memoriæ contempſerint legem, & dudum noſtram & præſentem, arbitrari ut unquam falſitatis hujus fugiant pœnas. Erit enim curæ per tempus glorioſiſſimi comitis ſacrorum noſtrorum privatorum [16], hujus rei habere providentiam & exigere pœnam, & inferre ærario, dum tale aliquid commiſſum fuerit: cognoſcente etiam ipſo, quia de ſuo, fiſco complere debeat, niſi hujus rei habuerit competentem providentiam. §. 2. Sed hoc quidem in adminiſtratoribus [17] decernimus: quibus publicæ & circa noſtras juſſiones occupationes, ut non per ſe audiant cauſas, concedunt veniam. Alios autem omnes qui nullam adminiſtrationem habent, cauſas autem ex juſſionibus noſtris audiunt, aut in hac feliciſſima civitate, aut in aliis, ſi tale aliquid egerint, & eos qui in officio conſiliariorum cum eis audierint, adhuc vehementioribus affligimus pœnis, niſi per omnem conſequentes litem, ipſi cum ſuis conſiliariis audiant cauſam. nam & dignitatum caſum eis interminamur, & pœnam vicenarum librarum auri: & eorum conſiliarios ex ipſa pelli civitate in qua hoc egerint: inſuper etiam ipſos proprio cadere honore.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia, quæ viſa ſunt nobis, & per hanc divinam declarata ſunt legem, omnibus faciat manifeſta, ſecundum ſolennem modum edictis per provincias utens: ut nullam gentium lateat aliquid quod a nobis ſancitur. in hac enim feliciſſima civitate glorioſiſſimus præfectus urbis hoc proponet. Dat. Kal. Decemb. CP. Imp. Dom. JUSTIN. PP. Aug. Anno XI. poſt BELIS. V. C. CONS. Anno 2. [18].

TIT. XVI.

UT IMMOBILIA ANTENUPTIALIS [19] DONATIONIS NEQUE HYPOTHECÆ DENTUR, NEQUE OMNINO ALIENENTUR A VIRO, NEC CONSENTIENTE UXORE, NISI POSTEA SATISFIERI POSSIT UXORI: HÆC VERO ETIAM IN DOTE VALERE.

NOVELLA CONSTIT. LXI.

Imp. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. ſacrorum Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

CAuſam miſerandam fieri cognoſcentes, coram nobis ipſis negotio moto: illud quidem correximus competenti modo, lege autem generali emendamus hujusmodi negotia (hoc quod moris eſt noſtri.)

CAP. I.

Ut immobilia propter nuptias donationis neque hypotheca dentur, neque omnino alienentur.

ET ſancimus, ſi quis conſcripſerit antenuptialem aut propter nuptias donationem, (ſic enim eam oportere magis vocari decrevimus [20]) ſive ipſe pro ſe hoc faciens, ſive etiam altero ſcribente, aut patre, aut matre, aut cognatis, aut extraneis forte: Si quis [21] igitur tale aliquid fecerit, & ſcripſerit donationem, in qua etiam aliquid immobilium eſt: interdicimus [22] ei aut de cætero ſupponere rem conſcriptam in antenuptiali donatione, aut alienare omnino. Quod enim ſemel vinculis ſponſalitiæ largitatis obligatum eſt, non erit conveniens alienari: ut mulier eveniente forſitan lucro, quod ei confert antenuptialis donatio, difficultatem patiatur, non inveniens [23] rem in viri ſubſtantia, cum ſit alienata aliis aut ſuppoſita, ut potentibus forte perſonis, quatenus illi propter hujusmodi cauſas aut ſit omnibus modis inadibilis vindicatio aut difficilis, & litibus egeat, dum ex hoc ipſo ſit adjuvanda. §. 1. Quapropter hoc obſervetur, & qui poſthac contraxerit, ſciat, quia ſive emptionem, ſive hypothecam habeat, nihil horum utilitatis habebit omnino, ſed æqualia erunt non ſcriptis, nec dictis, quæ ſuper hoc ſcripta ſunt, aut convenerunt: ut ſervetur uxori lucrum. Non enim videntur nobis immoderate feciſſe quidam noſtrorum judicum, qui etiam ipſam in rem actionem mulieribus poſt matrimonii transactionem in ſponſalitia largitate dederunt, quod recte inchoatum, deinde a poſteris judicibus quaſi pro ſupervacanea quadam ſubtilitate contemptum eſt: & non quaslibet vias & artificioſas inveniant, ſumentes hypothecas præparando mulieres conſentire, & ita proprio cadere jure. Conſenſus [24] etenim in talibus aut in hypothecam, aut in venditionem, aut in aliam alienationem conſcriptus, percipienti omnino non proderit, ſi ſemel conſenſus fiat: ſed ſicut in interceſſionibus ſcripſimus, ut oporteat biennii [25] tempore exiſtente [26] & rurſus aliam profeſſionem ſcribi confirmantem conſenſum: & tunc ratum [27] eſſe quod factum eſt: ſic & in hoc fiat. §. 2. Et ſi conſentiat mulier ſecundum ſpeciem in interceſſionibus, ſit omnino indemnis, niſi etiam ſecundum (ſicuti prædiximus) celebraverit conſenſum: plura namque ex primo mox auditu delinquuntur: muliere quippe mariti ſeductionibus [28] facile decepta, & propria negligente jura. Cum vero in plurimo tempore cogitaverit pro negotio, fiet forſan cautior. §. 3. Verumtamen neque hoc ſimpliciter damus, ſed tunc mulierem ex ſecundo conſenſu damno ſubmittimus, dum ſunt aliæ res, ex quibus poſſibile eſt ei ſatisfieri pro re vel rebus immobilibus, quæ in antenuptiali donatione continentur, & quæ ab alio detinentur, propter alienationis aut ſuppoſitionis modum: alioquin [29] ſi nihil aliud ſuperſit, neque ſic læſionem ſuſtinere mulierem permittimus: ſed licet ſecundo vel frequenter conſentiat, cauſa ad interceſſionis feratur rationem, & ſit omnino ei lucrum ſub cautela poſitum: niſi apparuerit relictum aliud ſufficiens ad antenuptialis largitatis quantitatem. Et hæc dicimus non [30] ſolum parcentes mulieribus, ſed multo potius viris talia facientibus: ſiquidem & multis & pene pluribus caſibus communibus filiis antenuptialis donationis ſervantur res: & rurſus hæ remanent apud ſubſtantiam viri, ejusque ſucceſſionem, ex hac obſervatione: ideoque utilis eſt lex uxori & marito ſecundum has ratiocinationes. Et multo [31] potius hæc in dote valebunt, ſi quid dotis aut alienetur, aut ſupponatur: jam enim hæc ſufficienter delimata atque ſancita ſunt. §. 4. Sed neque ipſos contrahentes omnino negleximus: nam ſi etiam ſuper his obligationem quantum ad mulieres neque dictam neque ſcriptam eſſe volumus: tamen ipſos viros in aliis earum rebus obligari volumus occaſione alienationis aut hypothecæ, mulieribus quidem ſervantes in ipſis immobilibus rebus ſponſalitiæ largitatis jus innovatum: illis autem competens jus ex

1 Pœnam creditoris cadaver mortui debitoris inferri prohibentis obſerva. Eſt autem hæc pœna legis Juliæ de vi. *l.* 12. *in fin. l.* 13. *D. quod met. cauſ.* 2 Confiſcationem tertiæ partis bonorum obſerva. Hæc eſt pœna legis Juliæ de vi, ut ea damnatus, tertia bonorum parte multetur, & fiat infamis, *l. ult. ff. ad l. Jul. de vi priv.* 3 Divus Marcus meminit tantum amiſſionis crediti. *d. l.* 12. *l. pen. ff. ad l. Jul. de vi priv.* 4 Pœna Talionis ita ſolet infligi: Qui non erubuit cadaver defuncti, ſit hic infamis. Qui fumum aulicum vendiderat, Alexandri Severi juſſu, fumo punitum legimus, *teſte Lamprid.* Qui nefaria hortamenta ad corrumpendas virgines & viduas protulerunt, eis meatus oris & faucium liquentis plumbi ingeſtione clauduntur, *l.* 1. *C. Theod. de rapt. virg.* & delatores congeſti in navigia raptim conquiſita tempeſtatibus dediti, ut ita abirent fugerentque vaſtatas delationibus terras. Plin. *in Panegyrico:* adde quæ notavi ad *Nov.* 115. *cap.* 3. §. 13. 5 Dixi ℑ. 6 Superflue uni aut paucis ſcribitur, ubi eſt cauſa cunctorum. Salvian. *ad Eccleſ. Novella Leonis* 27. 7 Hinc ſumpta eſt Auth. *Ad hæc, C. de judiciis.* 8 Neutra conſtitutio hodie extat. facit tamen *l.* 1. *C. de judic.* 9 Αἱ παρὰ τοῖς ἄρχουσιν, quæ apud magiſtratus. 10 *l.* 5. *Cod. de judic.* 11 Ut Magiſtratus Conſtantinopolitanæ civitatis cauſas in conventionibus certis audiant, & ſententiam dicant. Julian. *num.* 202. 12 Παρ' αὐτοῖς γίνεσθαι τοῖς ἄρχουσιν, apud ipſos fieri magiſtratus. 13 Id eſt, ultima cognitio, Julian. *hic & l. ult. Cod. de præſcr.* 30. *ann.* hoc eſt, definitiva, talis enim eſt definitiva, quæ ſane ultima eſt, ſic Noviſſima pœna, quæ ultima. Noviſſimum judicium, id eſt, ultima voluntas. *l.* 9. *Cod. de collat.* 14 Magiſtratus, hoc autem innuit, Magiſtratus urbanos ſeu Conſtantinopolitanæ urbis cauſas in conventionibus certis audire & ſententiam dicere. Jul. *hic num.* 202. 15 Dixi ſuperius, hanc conſtitutionem non extare. 16 Vide *tit. C. de off. com. rer. priv.* 17 Ἐπὶ τῶν ἀρχόντων, id eſt, in magiſtratibus. 18 Id eſt, anno 534.

19 De jure propter nuptias donationum. Jul. *conſt.* 55. ut ne conſentiente quidem muliere alienentur vel obligentur prædia donationis propter nuptias: *Index Reginæ apud Cujac.* Huc pertinet *cap* 1. Goth. Ad hanc Novell. vid. Gudelin. *de jure noviſſ. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 5. Rittershuſ. *in expoſit. Nov. part.* 2. *cap* 4. Anſ. 20 Vid. *Nov.* 119. *c.* 1. *l.* 20. *C. de donat. ante nupt.* 21 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Sive a me. C. ad SC. Vellejan.* & Authentica, *permiſſa. Cod. de don. ante nupt.* 22 Rei propter nuptias donatæ, non conſiſtit obligatio aut pignus, aut alienatio, *l.* 8. *C. de don. ante nupt.* Atqui nondum eſt ea uxoris? Poteſt eſſe. Si ita eſt, cur non mulier reſtitutione potius juvatur? Ei utilius eſt ipſo jure obligationem a principio non ſubſtitiſſe, quam valuiſſe & reſcindi. Quid ſi mulier ſemel conſentiat pignori aut alienationi? Creditori conſenſus mulieris non prodeſt, §. 1. *verſ. conſenſus.* ℑ. *h. t.* Nunquam igitur proderit? Imo vero: ſi videlicet mulier iterum conſenſerit. *d. verſ. conſenſus.* 23 Vide *tit Inſt. quib. alienare.* 24 Conſenſu etiam uxoris maritus obligare non poteſt aut vendere rem propter nuptias ei donatam. 25 Præſumitur certa animi ſcientia & perſeverantia confirmatum, quod poſt biennium confirmamus. 26 Conſenſus mulieris intra biennium inutilis, poſt biennium novo conſenſu firmari poteſt. *l. un.* §. 15. *C. de rei uxor. act.* ut ita emptori rei propter nuptias donatæ conſulatur, ſi modo mulieri ex rebus aliis mariti cautum fuerit. §. 3. ℑ. *h. t.* An idem eſt de dote? negat Joannes. *arg. d.* §. 15. Julianus vero anteceſſor ait *conſt.* 55. §. *hac autem dicimus.* facit §. 3. *verſ. & multo potius.* §. 4. *in fin.* ibi, omnibus privilegiis jam doti datis. ℑ. *hoc tit.* 27 Nota regulam. 28 Mulier eſt fragilis naturæ, *d.* §. 15. & facile ſeduci poteſt, *ut hic:* Niſi tamen aliud occurrat, iniquum fuerit dicere, omnem contractum mulieris initum mariti autoritate, præſumi factum inſtigatione & ſeductione mariti. 29 Exceptio regulæ ſuperioris. 30 Cauſa exceptionis. 31 Argumentum a donatione propter nuptias ad dotem, ſumptum a minore ad majus nota; Quod valet in donatione propter nuptias, hoc multo magis in dote valere oportet.

documentis quantum in aliis ejus rebus: omnibus privilegiis [1] jam doti datis in ſua firmitate manentibus, quando mulier movere, aliis enim omnibus præter [2] mulierem, hujusmodi privilegia, nec ex antiquo dedimus, neque nunc damus.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia, quæ placuerunt nobis, & per hanc ſacram declarata ſunt legem, omnibus faciat manifeſta, ſecundum ſolennem modum edictis (præceptis) per provincias utens, ut nullam gentium lateat: ut quæ a nobis ſancita ſunt, in hac etiam feliciſſima civitate glorioſiſſimus præfectus urbis hoc proponet.

TIT. XVII.

DE CONSULTATIONIBUS.

NOVELLA CONSTIT. LXII.

DE ORDINE [3] SENATORUM (ut in quibusdam libris inſcribitur) ſeu DE CONSULTATIONIBUS [4], (ut in Contii manuſcriptis Novellis) ſeu, (ut Anton. Auguſtinus ex Florentino Codice refert) DE SENATORIBUS [5]. Epitome partim ex Haloandri, partim ex Juliani epitomis collecta per Antonium Contium, nam apud Scrimgerum nihil ejus extat præter nudum [6] Titulum.

ANTIQUIS TEMPORIBUS. AL. ANTE DE HIS IPSIS.

Fuit ergo Latina lingua edita hæc Novella, cujus omiſſa præfatione ſententia hæc eſt apud Julianum & Haloandrum.

HÆc [7] conſtitutio jubet provocationes in conſultationibus, non tantum in ampliſſimis magiſtratibus, ſed etiam omnibus [8] Senatoribus induci, ut tota Senatus cauſa [9] appellationum audiat & conveniat, quamvis ſilentium [10] tantum ſine conventu Senatoribus denunciatum fuerit. Silentio enim conventum ineſſe [11] videri. Audiant itaque provocationes ſanctis Evangeliis propoſitis, & quod ſibi viſum fuerit, Imperatori referatur, ut ex divina ſententia ejus, Senatus calculus confirmetur [12]. §. 1. Agat autem Senatus conventus in Hippodromis [13]. §. 2. Urbicaria [14] præfectura omnibus aliis prælata [15] dignitatibus, id eſt, ante ſedeat [16]. Et poſt præfectum cæteri patricii numerentur: & conſules quidem, & qui inter eos conſularibus inſignibus decorantur, ſecundum conſularem ordinem & prærogativas conſulatus ſui ſedeant, ut tamen anteponantur ordinarii [17] conſulares honorariis conſulibus. Et poſt [18] hos præfectorum & magiſtrorum militum & illuſtrium virorum ordo ponatur. Omnes autem iſti habeant facultatem in Senatu ſententiam dicere. Qui autem ſint propter cingulum magiſtratus a Senatoribus honoratur, etiam poſt depoſitionem cinguli ſui, inter Senatores connumerentur. Liceat autem iſtis habere viris patriciatus codicillos accipere, quamvis [19] neque conſulares, neque præfecti facti ſunt. Quod non ſolum in futuro tempore, ſed etiam in præterito conſtitutio relaxavit. §. 3. Illud autem certum eſt, quod tertiam partem ſportularum in ingreſſu dignitatis dare compellantur, omnibus aliis ex conſuetudine ſportulis dandis in quavis promotione in ſua firmitate durantibus. Qui autem præſentem conſtitutionem non obſervaverint, pœna quinquaginta librarum auri plectentur. Quæ pœna non ſolum ipſis violatoribus conſtitutionis imminebit, ſed etiam aliis, qui eam violari conceſſerint. Dat. CP. poſt conſulatum BELISARII iterum conſ. Al. in editione Haloand. PP. Menſe Januario poſt conſulatum BELISARII V. C. Anno ſecundo [20].

TIT. XVIII.

DE NOVI [21] OPERIS NUNCIATIONE MARITIMI [22] ASPECTUS.

NOVELLA CONSTIT. LXIII.

Imp. Juſtin. Aug. Longino hujus almæ urbis [23] præfecto.

PRÆFATIO.

CAuſam quæ doloſe fit in hac regia civitate circa domuum ædificia, cohibere & emendare juſtum credimus. Quia enim *certis menſuris diſtare domos ab invicem, Zenonis piæ memoriæ conſtitutio* [24] *dicit:* nos etiam aliquid tale [ſancivimus. Sequitur autem] *in hac regia urbe non poſſe aliquid* [25] *ultra centum pedes prohibere maris aſpectum, rem omnium gratiſſimam.* Oportebat quidem forſan, & exampliari menſura aſpectus ejus partem, & non eos prohibere. Sed tamen hoc inopinabili quadam machinantur arte. Quidam [26] enim centum pedum relinquentes menſuram, aut etiam parum aliquid huic addentes, deinde ædificant: nihil aliud habentes, ſed tanquam aliquod velum tetenderint: & cum abſtulerint maris aſpectum per omnem poteſtatem, & non repugnantes legi propter centum pedum ſpatium, interim ædificant ſine prohibitione: & dum quod quærunt potiuntur, deponunt illud quod propter utilitatem ab eis injunctum eſt. Sed ita ſchema circumvenientes omni voluntate, extraneas poſſeſſorum conſtituunt domos: quod de cætero fieri nullo modo volumus inventum.

CAP. I.

SEd ſi quis voluerit tale aliquid excogitare & malignari, non taliter ludat: ſed ſi hoc egerit, pro veritate domum totam ædificet: & usque ad ſpatium totum (centum dicimus pedum) tendat, ædificia faciens tanquam neceſſaria ſibi, & inevitabilia futura, non autem propter [27] vicini læſionem conſtruat parietes, & velut ex quadam pictura talem extendens machinationem, privationem aſpectus arripiat. Sicut [28] enim eis qui aliena diripiunt, directe adverſamur, & pœnis dignos putamus: ita & hæc molientes nihilominus in malitiam eorum qui alienas res abripiunt, æſtimavimus. Unde ſi parvam [29] aliquam rem per modum abreptionis auferre præſument, beneficio [30], vi bonorum raptorum conquadruplatur pœna: quomodo non hunc neceſſe eſt qui tale aliquid agit, & cogit quod ab eo factum eſt, alia majori pœna multari? hoc eſt decem librarum auri inferendarum theatralibus [31] tuæ celſitudinis, ut non malus [32] vicinus (hoc quod in ſermone) conſtitutus vadat deridens legem, tanquam non valentem eum propriis inhibere diſpoſitionibus.

EPILOGUS.

† Quæ igitur placuerunt nobis, & per hanc ſacram declarata ſunt legem: tua celſitudo in hac feliciſſima civitate operi terminoque contradere, & in perpetuum una cum obedienti officio ſervari feſtinet, eadem decem librarum [33] imminente pœna contra hæc prævaricantes, aut prævaricari ſinentes. Dat. 7. Id. Mart. CP. Imp. Domin. JUSTIN. PP. Auguſt. Anno XI. JOAN. V. C. CONS.

TIT. XIX.

DE [34] HORTULANIS [35] CONSTANTINOPOLITANÆ [36] CIVITATIS.

NOVELLA CONSTIT. LXIV.

Antonio Contio interprete.

Idem Imp. Longino glorioſiſſ. præfecto felicis & regiæ hujus urbis.

PRÆFATIO.

MUltæ undique nobis accuſationes ex tempore multo contra felicis hujus urbis & ejus proaſtiorum [37] hortulanos deferuntur, indignantibus cunctis de ipſorum malitia. Quæ autem delata ſunt, talia quodammodo ſunt.

1 Ac ſi diceret, donata propter nuptias certa lege poſſunt obligari & alienari, §. 1. ℑ. *h. t.* & dos quoque, *ut hic.* Jul. *hic.* §. *hac autem dicimus.* Igitur ea parte dos & donatio propter nuptias comparantur. An in omnibus aliis? Minime. Dotis actio privilegiata eſt: donatio propter nuptias non æque. *Nov.* 97. *l.* 12. §. 2. *ff. qui potior.* Theophil. *in* §. *fuerat. Inſtit. de act.* 2 Dotis privilegium perſonale, quia non transfertur in heredem extraneum, *l.* 1. *C. de privileg. dot.* in filium transmittitur, *Novell.* 91. 3 Julianus *conſtit.* 59. *num.* 20. Huc referre poſſis Lucium 4. *Placitor. tit. de Curia in publ. præcedent. & tit.* 6. *de ordin. ſedendi.* 4 Jul. *ibid. n.* 204. 5 Περὶ συγκλητικῶν. *Scrimg.* de ſenatu. *Index Reginæ.* 6 Contextum enim Novellæ non habet. 7 Julianus *conſtit.* 56. *in princ.* quæ inſcripta eſt, *de conſultationibus.* 8 De numero Senatorum ad Senatusconſultum faciendum neceſſario, vide Paulum Manutium *lib. de ſenatu, cap. de ſenatusc.* 11. *quæſt.* 4. 9 Quibus de rebus cognoſceret Senatus, vide Manutium, *d. lib. cap. de jure referendi* 8. 10 Dupliciter Senatusconſultum confirmatur: conventu, vel ſilentio ſine conventu. Conventu, quoties ſingulorum ſenatorum ſententiæ exquiſitæ ſunt: ſilentio, quoties ſenatores quidem interfuerunt, remque totam audierunt, ſed diſceſſerunt, aut manus porrigendo aut pedibus in ſententiam eundo: & ita ſenatusconſulta fiebant, non tantum conquiſitis ſingulorum ſententiis, ſed per diſceſſionem tacito conſenſu. Vide Paulum Manutium *lib. de Senat. cap. de ordine rogandi ſententias* 19. *& de dicenda ſententia* 10. *& præcipue cap. de ſenatusconſulto.* 11 Id eſt, qui ſilet, nec contradicit, approbare & conſentire videtur. 12 Si princeps præſens aut res magni momenti fuerit: quicquid decrevit ſenatus, non aliter valet, quam ſi id ipſe princeps ratum habuerit. Huc refer Manutium, *d. l. cap. de ſenatusconſ. quæſt.* 5. 13 Hippodromus locus fuit Conſtantinopoli. Romæ ſemper habebatur ſenatus in ſacris locis ac ædibus, ut in templo Vulcani ſub Romulo: in Curia Hoſtilia, ſub Hoſtilio: poſt exactos reges, modo in Jovis, Apollinis, Martis, Bellonæ, Caſtoris, Concordiæ, Virtutis, Fidei: modo in curia Hoſtilia, Pompeja, Julia conveniebat ſenatus. Extra urbem duabus tantum de cauſis habebatur, in æde Bellonæ, ut legati exterarum gentium audiri poſſent: quibus in urbe Senatum dari mos non fuit, præſertim ſi ab hoſtibus venirent, Livius 42. Feſtus *in Senaculatria* 14. Gell. 17. deinde ut duces exercitus audirentur, quos Romam ingredientes imperium deponere oportebat, *Feſtus.* Idem ex Nicoſtrato refert, olim tria tantum conventicula fuiſſe Senatus, ædem Bellonæ, de qua ℑ. ædem Concordiæ inter Capitolium & forum: tertium ad portam Capenam. Feſtus in Senaculatria, adde Manutium *in lib. de ſenat. c. de loco habendi Senatus.* 14 Urbicariam præfecturam Auguſtus inſtituit, teſte Suetonio & Victore Aurelio. 15 *l.* 3. *Cod. de off. præfect. urb.* 16 Et ita abrogatur lex tertia *Cod. de conſulibus patric. omnibus anteponend.* 17 Ordinarii conſulares, qui ordinarium conſulatum re ipſa geſſerunt. 18 Ordinem ſerva, quo quisque in Senatu Conſtantinopolitano ſententiam dixerit. 19 In eo quoque abrogatur *d. lex* 3. *C. de conſulibus.* 20 Id eſt, anno 554.

21 Dixi *ff.* 39. *tit.* 1. 22 De proſpectu maris Jul. *conſt.* 57. 2. Harm. 4. *c.* περὶ ἀπόψεως θαλάσσης: adde *Nov.* 165. *& l.* 12. *l.* 14. *l.* 15. *l.* 16. *ff. de ſervit. præd. urban.* 23 *l.* 12. §. 2. *C. de ædif. privat. &* 2. Harm. 4. §. 59. 24 Pertinet etiam hæc conſtitutio ad provinciales, *l. ult. C. de ædif. privat.* 25 Τινά. 26 Senſus eſt, Poteſt quisque vicino proſpectum maris tollere: ſi tamen ædificando 100. pedum ſpatium a domo vicini reliquerit. Titius vicino volens nocere hanc fraudem excogitavit: murum enim duxit altiſſimum extra ſpatium 100. pedum, maris proſpectus ita vicino ablatus eſt. Hoc cum ita eſſet, intra ſpatium 100. pedum, poſtea domum ædificavit, quaſi nullam jam maris conſpectionem habente vicino, paulo poſt murum depoſuit, ut ex ſuo ædificio maris haberet proſpectum: idne ei licuit? Minime. Vetat enim hæc conſtitutio, quenquam ædificare ultra centum pedes aliud quiddam, quam ædificium, & ſi ita ædificatum ſit, ædificium deponi jubet. 27 Non licet ultro, id eſt, ſine cauſa in vicini læſionem ædificare. 28 Non licet alium rapere, ergo nec proſpectum, qui ei competit. 29 *tit. Inſt. vi bonor. in pr. l.* 2. §. 24. *in fin. ff. vi bonor.* 30 Actionis ſc. 31 Id eſt, arcæ theatrali Præfecti urbi. Jul. *hic.* ℑ. 32 Vicinus malus leges ædificiis poſitas facile deridet & adverſus eas calumnias & fraudes facile excogitat. Plautus *in Rudente.* Nunc ergo verum illud verbum eſſe experior vetus, aliquid mali eſſe propter vicinum malum. Inde colligunt, Rem minoris valere propter malum vicinum, ideoque teneri venditorem, ſi confinem celaverit, *l.* 35. §. 8. *ff. de contr. empt. l.* 1. §. 15. *ff. ſi quid in fraudem patroni.* Et res ita eſt: eum ſibi malam fortunam facere, qui nequam vicinum ſuis nummis parat: quo nomine etiam multi prætulerunt carere penatibus & propter injurias vicinorum e ſede ſua profugere. E contrario, μηδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη. 1. *Col.* 3. Plutarchus etiam refert, Themiſtoclem prædium vendentem per præconem proclamari juſſiſſe, quod prædium haberet bonum vicinum. Noti ſunt etiam illi verſus Heſiodi in libro, qui ἔργα inſcribitur, *verſ.* 344. 345. πῆμα κακὸς γείτων ὅσσόν τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ· ἔμμορέ τοι τιμῆς ὅς τ' ἔμμορε γείτονος ἐσθλοῦ. Ex ſuperioribus quoque colligunt, nemini licere ad vicini æmulationem aut invidiam quidquam facere: ideoque, fratrem partem ſuam caſtri, in potentiorem, verbi gratia, principem, nulla ratione alienare poſſe, *l.* 2. *Cod. ne fiſcus vel reſpub.* Neminem turrim vel caſtrum jure ædificare aut nundinas inſtituere, intra alterum miliare urbis maximæ: idque proditionum metu, quod tamen privilegii loco quasdam imperatorias civitates obtinuiſſe Gailius refert 2. *obſ.* 69. *n.* 23. 24. *& ſequentibus.* Memini, cum Lutetiæ duo hinc & inde novas ædes easque ſplendide ædificaſſent, ita ut intermediæ deformes apparerent, vicinum intermedium ſuas quoque ædificaſſe, ſupremæ tamen ædificii parti ſive faciei viam publicam ſpectanti hanc inſcriptionem appoſuiſſe; *contentus eram antiqua, ſed vicinus novam coëgit ædificare domum.* eoque nomine injuriarum actione a vicinis conventum fuiſſe, quod ſuperior illa inſcriptio fidem eorum labefaceret, quorum intereſſet, apud omnes ſalvam ſartamque ſervare. Quæ ſententia ſit inde ſecuta, non liquet. Scio tamen integram inſcriptionem adhuc exſtare. Quod de hujusmodi ædificiis ad æmulationem & invidiam vicinorum factis dictum eſt, quidam referunt ad eos, qui jus molendini, inferioribus citra neceſſitatem minuunt, vide Cicer. 1. *off.* 33 Julianus hic adjicit, cogi etiam fictum ædificium deponere, id eſt, in fraudem legis factum. Auguſt. *Hom.* 30. Plerumque homines de uſu ſolis & luminis in ædificiis ſuis lites injuſtiſſimas concitant, ut & feneſtris ſuis radii liberiores aliquanto largius infundantur, domos alienas dejicere ſæpe moliuntur. adde, quæ ſcripſi ad *l. ult. in fin. Cod. de ſervit.*

34 Vide Julian. *conſt.* 58. 35 Hortulani eadem conditione hortos reddere debent, qua acceperunt. 36 Hæc verba deſunt in edit. Scr. 37 Id eſt, ſuburbiorum, locorum ſuburbanorum. Jul. *hic,* προάστεια, ἐπαύλια *Novell.* 7. *cap.* 1. §. 1. *l.* 198. *ff. ne verb. ſign.* quæ ante urbana. *Feſt.* Gallis *fauxbourgs.*